



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Compendium Summae seu Manualis Doct. Navarri

Ávila, Esteban de
Azpilcueta, Martín de

Lvgdvni, 1609

leium II. quo ad personas.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41656

Causa excusans ab integro ieiunio, non videtur excusare ab omni parte. nu. 22.

Circa ieiunia generalia solus Papa dispensat absolute: singulariter tamen cum hoc vel illo Episcopus potest, & eo absente Parochus. Et Prælatus etiam cum suis religiosus. num. 21.

Dispensatus, vt ante horam debitam prandeat, non videtur à ieiunio liberatus. nu. 22.

Non excusatur quis ab obligatione ieiunij propter eleemosynam quam dat. n. 22.

Peccat mort. inuitans ad cœnam, quem scit obligari ad ieiunium, & credit ob invitationem fracturum ieiunium, quod aliàs seruaret. Secus si sit paratus ad cœnandum. num. 24.

IEIUNIUM II.

Quoad personas.

OMNIS iusta causa excusans à ieiunio A
reducitur ad impotentiam, necessitatem, & maius bonum.

Impotentia excusat pueros vsque ad vigesimum primum ætatis annum: possunt tamen ob urgentem necessitatem ad id compelli. Item excusat senes sexagenarios secundum

cundum communem: quod tamen arbitrio prudentis relinquendum est. Item excusat mulieres grauidas, & nutrices: imò peccarent ieiunando nisi essent robustæ. Excusat etiam pauperes non potentes quætere cibum ad unicam comestionem sufficientem, non tamen alios. Excusat etiam infirmos non valentes simul tantum comedere, quantum sufficiat eorum salutem. Excusat etiam eos, qui ieiunando capitis dolorem patiuntur, vel vertiginem, aut tota nocte calere, vel dormire nequeunt. c. 21. n. 16.

- B** Necessitas excusat, quoties oportet facere aliquid incompatible ieiunio, quod tamen necessarium est ad necessariam conseruationem sui status decori. Excusat fabrum ferrarium, carpentarium, agricolam, vel quemlibet alium operarium habentem assiduam laborem, quamuis isti sint diuites. Excusat etiam eum, qui ieiunando non potest concionari ex officio, vel obedientia, aut docere, vel confessiones audire. Item excusat magnum iter facturum, saltem pedestrem, & maritum aliter non potentem uxori debitum reddere: & uxorem quæ ieiunando marito satis placere nequit. n. 16.
- C** Maius bonum excusat eos, qui ieiunando non possunt sanctis operibus vacare. Quod non habet locum in illis, qui ea faciunt principaliter

cipaliter propter mercedem: secus si principaliter ob cultum Dei, quamuis minus principaliter propter mercedem. num. 17.

Sola peregrinatio non excusat, nisi propter auctoritatem aliorum deuotio augeatur, vel si peregrinetur ex maximo deuotionis ardore. num. 18.

Qui dubitat an opus pium, & voluntarium, quod intendit, excuset, consulat Superiorem vel parochum, & eorum dicto acquiescat. num. 18.

Excusatur vxor à ieiunijs voluntariè votis, si maritus repugnat: non tamen à ieiunijs Ecclesiasticis, nisi inde oriretur notabilis discordia. nu. 19.

Qui bona fide credit iustam habere causam ad non ieiunandum, & ob id non ieiunat, non peccat saltem mortaliter. num. 20.

Paterfamilias, œconomus, vel caupo, qui his, quorum curam gerunt, aut iis, qui suam cauponiam adeunt, præbent cibos, quibus credunt illos sine causa transgressuros ieiunium, peccant mortaliter. num. 26.

Qui in die ieiunij manè comedit per ignorantiam vel incogitantiam, excusantem à violando ieiunio, & ob id non ieiunat, peccat mortaliter. Quoniam iste perinde poterat ieiunare, & hora consueta prandere, ac si nihil comedisset. num. 27.

Peccat

Peccat, qui famulos ad ieiunandum obligatos compellit diebus ieiunij ad opera ieiunio incompatibilia, quæ commodè possunt differri in alium diem. num. 27.

I E I V N I V M I I I.

Quoad diem & horam.

- A **D**IES ieiunio sacriati sunt tota Quadragesima, exceptis Dominicis: Quatuor tempora immediatè sequentia, post diem Cinerum, Pentecosten, exaltationem sanctæ Crucis, & festum sanctæ Lucia. Item dies Vigiliarum quæ præcepto, vel iuri communi, vel particulari præcipiuntur. Et quando vigilia S. Ioannis Baptistæ incideret in diem Corporis Christi, ieiunandum erit die præcedenti scilicet feria quarta, ex præcepto Leonis X. c. 21. num. 11.
- B Qui vouit ieiunare omni feria sexta, non potest vesci carnibus, nec omittere ieiunium Natali Domini tali die occurrente. num. 11.
- Ieiunium incipit à media nocte, & durat vsque ad mediam noctem sequentem. num. 11. 12.
- C Qui notabiliter absque iustâ causa præuenit horam prandij, peccat mortaliter. Non tamen